

STATUTUM  
ACADEMIAE  
SOCIETATIS CATHOLICAE INSTRUCTIVAE  
SUB COELSTI PROTECTIONE  
BEATAE VIRGINIS MARIAE  
REGINAE APOSTOLORUM

— 2 —

I.

Finis huius Academiae est, ut viri litteris eruditi Apostolatum fortiter ac viriliter, verbis et scriptis, viribus unitis una cum Societate Catholica Instructiva zelo apostolico exerceant, atque principia catholica doctrinamque S. Ecclesiae contra impetus continuos falso cognominatae gnoseos defendant.

II.

Associari possunt omnes viri catholici, qui litteris eruditis verbis scriptisque fidem catholicam defenders atque veritatem propagare sunt pares, sive clerici, sive laici.

III.

Duo sunt gradus sodalium:

- a) Sodales honorarii, qui honoris causa adnumerantur.
- b) Sodales activi.

IV.

Regimen est penes Praesidem, qui est pro tempore Superior generalis Societatis Catholicae Instructivae et tres consiliarios.

V.

In fine assequendo socii quam maxime possunt scientiam catholicam foveant et augeant, dum scripta librosque cum sublimioris eruditionis tum popularis argumenti edant. Promoveant Societatem praesertim opportunis manuscriptis gratis suppeditandis pro libris, libellis foliisque a Societate in lucem edendis atque se associando ephemeridi + Nuntius Romanus - quae est praeco Academiae.

VI.

Sodales mittant unum exemplar eorum operum, quae in lucem edunt ad Directionem Ephemeridis + Nuntius Romanus - Romam, ut ea annuntiet recensendaque curet.

VII.

Quoquo anno elapso breviter referuntur acta Academiae.

VIII.

Sodales libros aliave quae in lucem edunt, ab Ordinario, prout est praecipuum ecclesiasticum, approbanda current.

IX.

Debitam Summo Pontifici venerationem et omnimodam obedientiam in se foveant aliisque sedulo inspirant.

X.

Fraternam inter se caritatem neve verbis, neve scriptis unquam laedant et quamvis opinione sint seiuncti, tamen caritate et vinculo pacis sint uniti, imprimis omnem evitent mordacitatem neve personas, sed tantum vitia et errores persequantur.

XI.

Ut rore benedictionis coelestis ipsorum opera irrigentur, pietatem cum scientia habeant coniunctam.

In specie:

1) Quotidie recitent has orationes :

Veni Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, et  
tui amoris in eis ignem accende.

¶ Emitte Spiritum tuum et creabuntur.

R) Et renovabis faciem terrae.

### OREMUS

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione  
docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de eius  
semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum no-  
strum. Amen.

Sancta Maria, Regina Apostolorum ora pro nobis;

2) Saltem per quadrantem meditationi vel lectioni spiri-  
tuali vacent;

3) frequenter pro cuiusque statu SS. Sacra menta Poenitentiae et Eucharistiae suscipiant.



Romae 1890 (Typis Soc. Cath. Inst.)